



# Disputatio medica inauguralis de epilepsia

<https://hdl.handle.net/1874/345202>

48.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
EPILEPSIA,

*Quam*  
FAVENTE ARCHIATRO OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos, & Institut. Med. Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicci Consensu, ac Nobilissima  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis ritè,  
& legitimè consequendis,

*Publica disquisitioni subjicit*

JOHANNES OTTO SCHUMACHER, Bremens.

*Ad diem 29. Februarii, horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc loc xcii.

*Magnificis, Nobilissimis Amplissimis  
Prudentissimisque VIRIS*

DOMINIS CONSULIBUS SYNDICIS.

A C  
SENATORIBUS

*Florentissima & Libera Imperialis Reipublica  
BREMENSIS,*

P A T R I A E P A T R I B U S  
J U S T I T I A E P A T R O N I S  
L I B E R T A T I S P R O P U G N A-  
T O R I B U S F A U T O R I B U S  
A C P R O M O T O R I B U S S U I S

Summopere Colendis & Venerandis

*Hanc Disputationem Inauguralem*

*Submissè*

*Dicat, Offert, Consecrat.*

JOHANNES OTTO SCHUMACHER.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
EPILEPSIA.

I.



Icet multa ante hac dicta, scripta atque disputata sint, de Epilepsia, attamen Senecæ effatum mihi hic placet. Multum egerunt, qui ante nos fuerunt sed non peregerunt, multum adhuc restat operis multumque restabit nec nullatenus post mille secula ipso cludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi, idcirco animum meum applicavi ad epilepsiam (quantum Deus mihi gratiam Spiritus sui sancti largitus est, tantum pro viribus meis) examinandam, sed ut ordine disputatio decurrat, ab Epilepsia onomatologia exordior, & neglecta Etymologiâ Homonymiam ac Synonimiam ejus paucis principio expedio.

II.

Ex variis itaque significationibus, quibus in foro Medico vocabulum Epilepsia gaudet, illum nostræ subijcio disquisitioni, quo famosissimam illam in vasionem convulsionem, vel contractionem dictam Epilepsiam denotat.

III.

Hac sub consideratione vox Epilepsia multiplici stipata est vocabulorum Synonimorum catervâ; dicitur enim & morbus caducus, quia æ gri derepente cadunt: vel Herculeus; quia difficulter curationem admittit; item lunatici; ~~señor~~, lues deifica, sonticus, sacer, attonitus stupor, affectus puerilis, quoniam pueritiae tempore sœvit & ferè semper

A 2

con-

## DISPUTATIO MEDICA

consernescat; comitialis quod in comitiis & hominum frequentia maximè ægros corripiat, Germ. vocatur *die Fallende Sucht*. Et hæc de onomatologia sufficiant, cum Medicus non verbis sed herbis suo satis faciat officio.

### I V.

Quod spectat Pragmatologiam Epilepsiaæ, eam definitio; cauæ, Symptomata, signa, subjectum; Differentiæ, cura ac Præservatio ejus absolvant.

### V.

Definitionem sisto talem: Epilepsia est subitanea ægri interram prostratio cum vehementi partium externarum concussione vel internarum contractione sensuum externorum & internorum læsione post aliquot dies, menses vel annos revertens diversas verò easque indefinitas hic tragædias inducit.

### V I.

Quo ad differentiam, nunc enim malum est hæreditarium, nunc Idiopathicum, nunc sympatheticum, vel fortis vel levis periodica & inordinata. Quatenus causa mali nunc in cerebro, nunc in aliis hæret partibus, exempli gratia ventriculo, hepate, utero, liene, vel in aliquibus aliis partibus solidis.

### V I I.

Primaria ergo Epilepsiaæ differentia & quidem meritò desumitur ab ipsius affectù vehementi majori, vel minori; unde majus quoque vel minus naturali hominis vitæ, ejusve beatitudini periculum imminet.

### V I I I.

Proxima, & hæc quoque magni in medicinâ facienda momenti differentia petitur à loco primario affecto, & foco materiae Epilepticum insultum excitantis unde quando in ipso cerebro aut capite fomes ille contineri creditur Idiopathica dicitur illa Epilepsia. Sin extra caput alibi coacervetur & generetur idem fomes atque inde per intervalla deferatur ad cerebrum, atque paraxismum excitet Epilepticum Sympathica & per consensum facta vocatur illa Epilepsia.

### IX.

# I N A U G U R A L I S.

## I X.

Natales præsentis morbi sunt hujusmodi, usus alimentorum viscidorum tenaciorum parum spirituum olei & salium volatilem habentium. His sanguis fit tenax & acris & tunc graves parit obstructiones, ut in fæminis quibus menstrua non respondent, & sanguis *ibidem stagnans* fit acris & acidus, tunc lege sanguinis circulationis per arteriam magnam ad cerebrum defertur ejus canales & nervosas fibras tam confuse irritat, ut spiritus tam subito determinentur, ita ut in loco unius musculi omnes totius corporis hoc vel illuc pellantur & convulsiones excitentur, ut fiant excretiones seminis, urinæ, stercoris & spuma oris, clamores, huc referuntur crassæ tenuisque meningis symptomata, humor acris in cerebri cavitatibus, caluli, ossa, vermes, tumores, terrores.

## X.

Dico omnem spiritum animalem è cerebro in nervos musculosque propelli, nihilque aut admodum parum in levioribus scilicet paroxysmis incerebro morari: hujus rei ratio est, quod objecta externa nullam impressionem in cerebro faciant, aut menti saltem non deferantur, quod in Epilepsia spiritus animales deficiant, eundem verò in nervos insigni impetu ruere probant inconditi vehementesque motus.

## X I.

Statuo itaque esse vel in vel extra cerebrum fermentum vel particulas quasdam viscidas, acidas corrosivas, acres scindentes, spiritu animali immixtas, quæ tubulos nerveos vellicant irritantque. Hoc dum fit non possunt non spiritus tubulis cerebri contenti in motum rapi, cumque pari qua è cerebro turbantur alacritate novi subsequi nequeant, tubi iili coincidunt atque adeo angustantur, ut novis in eos se insinuandi omnis auditus illico intercludatur, cæteris interim fulminis instar fumgam arripientibus.

## X II.

Focus seu subjectum hujus morbi potest esse, & non immrito etiam omnis pars solida præter dictas §. vi.

A 3

X III.

## X I I I.

Nec silentio involvenda Epilepsia infantum tempore dentitionis ex tertiae & septimae (juxta opinionem neotericorum) conjugationis nervorum vellicatione & gingivarum inflammatione orta quin & non nunquam à cruditatibus lacte coagulato & acriori aut acidiori redditio & etiam à saccharo hoc malum (uti quotidiana Experientia & ratio dictat) originem duxisse constat.

## X I V.

Epilepsia certo etiam tempore redit, id evenit quod tanto temporis spatio opus sit, antequam sanguis ad eam acrimoniā acidam corrosivam deduci possit, ut iterum ad hanc tragediam in corpore humano excitandam sufficiat.

## X V.

Audivi de Marito, qui uxorem suam Epilepticam gravissimis veneris amplexis, gravissimo hoc morbo liberaverit, sed ubi hoc contingit mordicus tenendum tantum salis volatilis debere contineri insemine mariti, ut sal acidum acre & corrosivum in uxorius sanguine oberrans corrigi involvi & domari possit.

## X V I.

Sunt inter Medicos haud pauci, qui ad effluvia lunæ confugere solent imprimis cum Experientia teste hujus phasibus auctoritate soleant. Etsi verò non diffiteor lunam prodiverso cum cæteris planetis & ipsa terra aspectu aliam atque aliam cum diversis effluviis materiam primi elementi spargere in hac inferiora eandemque sanguinis massæ infusam prodiversa sui figura, diversas tragedias, calamitates motusque solitos excitare & fermentum aliquod extubulis excutiendo hoc malum producere posse. Nolim foras ubi domi suppetunt hujus variae, causas accersere.

## X V I I.

Sed & accidit nonnunquam ut maximè deplorandum Symptoma consequatur insultus Epilepticos, Amentia scilicet aut totalis aut partialis, unde plures videamus, qui ex gravi hoc affectu inciderint

## I N A U G U R A L I S 7

inciderint in Fatuitatem & Dementiam in Apoplexiā aut Hemiplegiam atque Maniam; & ferè omnes animi dotes, internis sensibus se manifestantes multum fuerint debilitatæ, ut & de sensibus externis: Nam fugatis & abactis in nervos spiritibus obstruktiones oriuntur quæ nisi occissime novi succedant spiritus & obicem hunc removeant aptæ sunt sensus auferre unde quid aliud quam totius æconomiae excidium exspectare licebit.

### X V I I I.

Admiratu dignum exemplum nuperrime habuimus & quidem in graviā tempore parturiendi, quæ correpta ab Epilepsia & gravissimis paroxysmis infestata per triduum ferè, adhibitis remediis peperit filium mortuum, tunc sponte evanuerunt paroxysmi, sed adhuc dementia atque hemiplegia laborat.

### X I X.

Puerorum Epilepsia non nisi ab hac gradu differt, dividiturque in internam & externam, in illa viscera abdominis in primis mesenterium, ventriculus, & diaphragma convelluntur, in hac externæ quoque partes incalmitatis societatem rapiuntur. Illius causa videtur esse acidum compedibus suis solutum continuaque materiæ primi elementi ratione subtilius & acutius redditum, ut primarum viarum limites transilire, & in ipso æconomiae nostræ meditullio funesta sua dramata ludere possit.

### X X.

Præludia nec non instantis Epilepsiae signa Diagnostica sunt sequentia, caput dolens est, grave, ventiginosum, saepè auram frigidam sentiunt ascendentem, ab occipite ad capitum verticem vergentem, nonnunquam videntur sibi aqua calida per omnes artus derepentè perfundi, venter præcordiaque flatibus tument, nunc faciei pallor, nunc rubor præcedit, inordinatus linguæ motus, oblivio, tristitia, animi in constantia, infestant ægros insomniis turbulentis, offenduntur oculis caglientibus tenebræ, aliis è contra splendores scintillæ, muscæ & nubeculæ observantur. Fortioris Epilepsiae signum Pathognomo-

gnomonicum est spuma oris, quæ in leviori haud apparet, cùm tanta nervorum vellicatio aut concussio non sit, ut illa exprimi possit, cùm illa ut plurimum sit crassa admodum viscida atque glutinosa; sensibus orbatus, subito in terram corruit, nunc quædam nunc multæ convelluntur corporis partes, hic manus habet clausas, ille ingryum agitatur hic cursitat, ille sedet, oculos invertunt, pectori maxillam allidunt, dentes non nunquam inter se collidunt claudunturque, ut extremum ægri incurvant suffocationis periculum, quidam vociferantur, aliis supervenit dentium stridor, stertor, Urinæ, fœcum, feminis involuntaria excretio, satis de Diagnosticis confero nunc me ad Prognostica.

## X X I.

De morbi hujus eventu, solliciti ægrotantis vota jam explere oportet, omnis itaque Epilepsia est periculosa curatunque difficilis, si quæ justo diutius duraverit creberrimis insultibus miseris post liminò invadit. Etenim tubuli cerebri adeo laxantur &c disponuntur paroxysmorum frequentia, ut particularum istiusmodi heterogenearum incuribus facile pateant, perffoso jam aggere remotisque repagulis. Non nunquam adeo atrociter hæc furia concutit ut irritis etiam optimis remediis repente intereant. Idieopathica plus periculi alit quam Sympathica, Hæreditaria nunquam vel rarissime curationem admittit. Quo diutius protrahitur paroxysmus eo deterior indicatur morbus.

## X X I I.

Ante pubertatem quæ contingit curam adhuc admittit, post annum verò vigesimum quintum fidissimus erit ad necem usque comes, ut etiam Clarissimus atque Experientissimus Medicorum Hippocrates aphorismo quadragesimo quinto sectione secunda inquit à comitali morbo juvenes mutatione potissimum atatis & regionum & viciuum liberationem accipiunt, & sectione quinta aphorismo septimo Epilepsia, quibus ante pubertatem contingit mutationem recipi: quibus post vigesimum verò quintum annum eos ferè comitatur ad mortem usque, quamquam exempla non nullorum annum

AD N C A U G U R A L I S . 19

annum vigesimum quintum jam egressorum & tamen feliciter curatorum passim apud Authores prostent.

X X I I .

Quo ad indicationes sanguis tenax viscidus incidentus & attenuandus, acidus corrosivus acris emendandus, ut sanguis suam debitam particularum mixtionem dispositionem atque consistentiam recipiat, quo actiones ritè peragi possint, nunc ad curam ipsam me accingam.

X X I V .

Alia itaque cura adhibenda erit in paroxysmo & alia extra paroxysmum, in paroxysmo convenienter volatilia graveolenta naribus admota, si os aperiri possit, quod arctissime claudi solet, antepileptica ab Authoribus, (eorum nempe quæ longior usus approbavit numerum:) locum habent. Profundunt etiam frictiones, clamores & quidem sui nominis, oris apertio cochleari ligneo ne linguam præmordeant, illinitiones, temporum, corporum, cranii circa suturas, præcipue coronalem.

X X V .

Cura extra paroxysmum ex-triplici hauritur fonte, nempe ex fonte Chirurgico Pharmaceutico atque Diætetico. Fons Chirurgicus primo suppeditat venæ sectionem, quæ ut à non nullis commendetur, attamen ab aliis culpatur. Secundo cucurbitulas atque vesicatoria quæ locum inveniunt ubi in parte aliqua solida digito, pollice & cæteris causa mali-hæret. Tertio cauteria & actualia & potentialia atque Trepanum quæ ego hic in tali morbo non magnifico, quia aliquando famam & existimationem prostruant. Fons pharmaceuticus suggerit omnia alcalia volatilia, fixa spirituosa, salia volatilia oleosa, terestria acidum vitiosum absorbentia blandeque per diaphoresin particulas heterogeneas exsanguine excludentia, sunt itaque terrea alcalia, ut cranium humanum non sua sed violenta morte perreempti, corallia rubra: Bezoar orient. & occident. Unicornu marinum & fossile, cornu cervi, succinum, pulvis secundinæ humanæ etiam, minera-

10 DISPUTATIO MEDICA

lia uti cinabaris nativa & antimonii indeque paratum speci-  
ficum Cephalicum. Egregium hoc medicamentum omni-  
busque idcirco practicis commendatissimum.

*Formula sunt sequentes*

**R.** *Pulv. corall. rubr.*

*cranij. human.*

*granor. paonie an. 3j.*

Misce & fiat pulvis subtilissimus qui detur in tribus vicibus,  
mane, meridie, & vesperi, cum aliquo brodio vel aqua ap-  
propriata

vel

**R.** *Cinab. antimonii 3*lb.**

*unic. foss.*

*sal. volat. cc.*

*ungul. alc. an. 3*j.**

*M. D. S. pro ii dos.*

Sequentem pulverem summis in coelum laudibus extollunt.

**R.** *Cinab. Antimonii 3*lb.**

*unic. foss. 3*j.**

*C. Cerv.*

*Vist. quercin. an. 3*j.**

*Terr. sigill.*

*Cran. human. ppt. an. gr. XV.*

*Margarit. ppt.*

*Lap. Smaragd.*

*cinamom.*

*croc. an. 3*j.**

Misce & fiat pulvis subtilissimus cuius dosis 3*j.*

Aliud Antepilepticum Thomas Bartholinus habet.

**R.** *Cranij. human. sem. paon. an. g. x. succ. alb. g. viii.*

*Aur. bared. g. ij. margarit. prapt. corall. an. g. v.*

*samb. cort. ex salic. natian. gr. x. castorii gr. iiij.*

*pulu. calend. gr. x.*

*M. f. pulvis pro una vel 2 dos. in aqua cinamomi vel florum*

*Tilia exhibendas.*

Vinum

# I N A U G U R A L I S. II

Vinum medicatum sequens laudant Medici non insimi subsellii

R. *Herb. Ruthæ, salvia, lavendul, anth, an. mj. limat.*

*Chalyb. 3ij. macis, carophillorum, cinamoi. an. 3j. cort. citr. 3j.*

*Vin. opt. q. s. Misce fiat vinum medicatum sumatur inde liberalis banus in prandio & cena.*

Singulis mensibus bis vel ter pro re-nata sequentem pulvrem mercuriale in usum voces.

R. *Merc. dulc. gr. xv. cinab. nativ. succ. alb. an. 3B. Arcan.*

*duplicat. gr. viij. castor. gr. iiij. ol. still. rorism.*

*ol. st. cochl. an. gt. ij. m. D. S. pulvis. pro ij. dosf.*

Horis vespertinis 15 sequentium pillularum absorbeant.

R. *Therebinh. venet. 3j. Bals. peruv. 3B. sapon. venet. 3j.*

*Castor. Camph. an. 3j. laud. op. gr. iiij. m. f. pill. parva dentur ad seat. & serventur usui.*

## X X V I.

Cæterum prudentiæ est omni ope niti ne acidum vitiosum in primis viis coacervetur, quod si ad massam sanguineam delatum in grata huic malo alimenta ministaret. Itaque æger quandoque absorbentibus & aliquando Vomitorio uti poterit v. g. absorbens seq.

R. *Vitriol. mart. 3j.*

*Ocul. 6g. 3B.*

*M. detur in charta. pro una vice*

Vel. *Vomitorium seq.*

R. *Tartari Emet. g. v.*

*Antimon. diaph.*

*Sacc. alb. an. 3B.*

Misce & f. Pulv. subtiliss. detur in charta pro una vice assūmatur in-cerevisia calida.

Sudorifera, ut in aliis sic in hoc morbo præsentaneam opem ferre possunt, itaque tale sudoriferum singulis septimanis bis vel ter repeti potest in lectulo.

Ut

R. *Bezoard. mineral. 3j.*

*Sal. volat. Corn. Ceru.*

B 2

*succ.*

*succ. an. 36.*

*campb.*

*cinabr. nativ.*

*eroc. an. gr. vij.*

*Theriac. Cœlest. gr. iij.*

M. D. ad usum, superbibatur largissimus potus Thee vel  
Herb. Betonic. ut eo melius sudor excutiatur vel ejus loco  
Decoct. rad. chinæ & falsæ,

### X X V I I.

Nunc ad tertium fontem me accingo nempe ad fontem  
Diæticum, si ullibi certè hic ratio vivendi multum valet,  
nam acida, salsa, fumo indurata immatura, viscida, cruda  
hic non bene olenit, sed facile malum hoc reiterant, etiam  
animi pathemata, ut tristitia, ira, terror, timor, nimia vi-  
gilia atque Venus valdè nocent. Sed è contra cibus levis  
multumque salis volatilis habens bene convenit, uti &, aer  
ferenus & exercitationes corporis & animæ sed quidem mo-  
deratæ. Post omnia nunc examinata & explicata (secundum  
meam opinionem) hic subsisto & finem impono itaque soli  
Tri-Uno sit laus honos & gloria in secula seculorum pro  
omnibus suis in me allatis beneficiis!

### C O R O L L A R I A.

- I. Non dentur cibi, qui certa quadam & peculiari vi Epilepsiam  
excitare possunt.
- II. Sinapi & ceapa in Epilepsia non sunt culpande.
- III. Anseres, cum piscibus vescantur & in aqua locisque paludosis  
vivere ament, in hoc morbo sunt relinquendi.
- IV. Saccharata Epilepticis nocent.
- V. A nimio coitu malum hoc provocatur.
- VI. Hepar Hircinum more nostro paratum, non occulta vel pe-  
culiare, sed nota & manifesta vi hoc malum vel partit vel pro-  
vocat.

F I N I S.